

D. O. D.

DISSERTATIO ACADEMICA

De

Collisione inter Honestum & Utilitatem Publicam,

QUAM

Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ in Regiæ Academia Aboënsi,

PRÆSIDE,

Mag. JOHANNÉ BILMARK,

Historiar. ac Philos. Pract. Professore Reg. & Ordin.

PRO GRADU


Publice Examinandam proponit

ABRAHAMUS LILJENSTRAND,

Stip. Reg. Nyland.

In Auditorio Majori die 12 April. An. 1798.

Horis a. m. convetis.



ABOË

In Officina FRENCKELLIANA.

D. O. M.
DISSERTATIO ACADEMICA

De
Collisione inter Honorem & Utili-
tatem Publicam,

Consensu Augustissimi Taciturni Philosophiae in Regia
Academia Absolutae

PRÆSIDIS,
Mag. JOHANNIS BILMARCK,

Magistri, ac Philol. Præf. Professoris Reg. & Ordin.

PRO GRADU

Philos. Titulatus proponit

ABRAHAMUS LILJENSTRAND,

Stip. Reg. Nyland.

In Auditorio Majori die 12 Aprilis A. 1788

Hortus in centrali.

ABOE

IN OFFICINA TRENKELIANA



PRÆFATIO.

Circumspicienti mihi, alterum Specimen Academicum nunc edituræ, argumentum quoddam Philosophicum, in quo elucubrando ingenii vires, quas tenues mihi fuisse concessas profiteor, periclitari possem, inter alia perplacuit illud, quod præfert disertationis hujus rubrum de collisione inter honestum & utilitatem publicam, cum propter suam gravitatem, tum propter exemplorum, illud illustrantium & a nobis breviter examinandorum, memoriam. Ante vero quam huic me accingo operi, B. Lectorem omni, qua par est, verborum observantia rogatum venio, velit pro eo, quo in Litteras amore fertur, disquisitionem hanc in meliorem partem interpretari.

§. 1.

Quum homines, in theatrum hujus mundi progressi, facultatibusque animæ suæ a Supremo Numine concessis uti incipientes, & sensualibus primum advescunt ideis, & verba, quæ illis cum aliis communicandis adhibent, in & per se, hoc est, naturaliter nihil, sed tan-

A tura

tam ex hominum conventionem aliquid significant; factum est, ut propter animadversam inter res naturales & alias, morales præsertim, analogiam, his eadem imponerent nomina, atque ita farrago terminorum proprie physicorum in disciplinam moralem sensim admitteretur. Inter hos referimus *Collisionem*, qua sicut Physici designant duorum corporum solidorum, contraria directione motorum, in se invicem incursum, quo fit, ut vel ambo fistantur, vel alterum, utpote majori vi præditum, alterum, mutata hujus directione, secum abripiat; ita idem vocabulum, in disciplinam moralem introductum, contrarietatem duarum Legum Naturalium in executione indigitat; quæ efficit, ut dum utrisque eodem tempore satisficere non possumus, unius obligandi vis interea cesset, dum altera, utpote validior, obligat. Hæc igitur Legum collisio non eo valet, ut cessans Lex vim obligandi suam plane amittat; sed quum hominis vires sint limitatæ, pluribus eisdemque diversis officiis simul præstandis haud sufficit; ac proinde, dum sapit, ad id se determinat, ad quod pluribus ac magis momentosis sollicitatur motivis. Omnis proinde Legum Naturalium collisio est tantummodo apparens, ex casus emergentis concursu, quo fit, ut unum officium præstetur, alterum vero non tam violesur, quam suspendatur, proveniens, utraque Lege intima vim obligandi suam ut ante, ita post collisionem, retinente.

§. II.

Alterum rubri propositi vocabulum, ab ambiguitate eo magis vindicandum, quod eidem diverſum Eruditi tribuere soleant significatum, est *honestum*, quo veteres Philosophi, ad etymologiam vocis respicientes, quicquid in actionibus humanis censebatur eximium, indigitabant,

Asserit igitur CICERO, *honestum conflare ex pulebritudine, constantia & ordine in consiliis factisque, tum ne quid indecore, effeminateve fiat, idemque valere, quantois non sit nobilitatum; imo honestum oriri ex aliqua virtutum, a Stoicis inter præcipuas habitatum, nimirum perspicientia veri, justitia, fortitudine ac temperantia (a).* Accuratius vero ad tenorem regularum Logicarum honestum dicitur quicquid obligationi ac juri Naturali convenit, seu quo præstatur id, quod naturaliter debitum est & licitum (b). Honestum latiori hoc significato heic sumimus, nullumque adeo discrimen inter honestum & moraliter bonum admittimus, nisi quod illud ad agentem, hoc autem ad ipsam actionem magis referatur. Et quum in moralitate actionis humanæ æstimanda plura in censum veniant momenta, quorum præcipua sunt intentio agentis, hujusque motiva, actionisque media, finis & effectus; ad honestum conflandum requiritur, ut singulis hisce nulla, quantum humana fert conditio, vitii macula adhæreat. Quibus addere liceat, quum honestum se exerat studio promovendæ felicitatis, & quidem majoris præ minori, adeoque si inter publicam & privatam felicitatem ulla forte intercederet collisio, firmiter tenendam esse regulam Juris Naturalis, jubentis, ut ex pluribus in nostra potestate positis id agamus, quod ex graviorebus se commendat motivis, proindeque illam esse huic præferendam.

(a) Vid. Libr. I. de Officiis Cap. IV. fin, & Cap. V. init. (b) Vid. Ch. Wolffii Pbil. Pract. Universal. Part. I. § 171.

§. III.

Quid sibi velit *utilitas publica*, quam cum honesto subinde collidere ponimus, fugere forte potest nemi-

nam; attamen nec hoc vocabulum, cujus notionem late admodum extendere solent Politici, sine aliqua prætercundum est explicatione. Ad utilia igitur referimus res omnes sive physicas sive civiles, ex quarum fructione & usu commoditas ac felicitas vitæ humanæ obtinetur; quæ porro *utilitas* censetur publica, si per easdem vel omnium, vel saltem plurimorum Nationis membrorum commoda sine cæterorum dispendio & incommodo promoventur. Non igitur adfirmare audemus, publicam utilitatem tunc obtineri, si Nationi quid contingat fortunæ munus, ex gr. auctus provinciarum numerus, quo tamen efficitur, ut plerique civium in deteriorem, quam antea fuerunt, redigantur conditionem, propterea quod ad has tuendas tributa, solitis majora, in ærarium conferre deinceps teneantur. Et ne quid dissimulemus, difficile est, utilitatem publicam ex aquo æssimare, quum quod de veritate dicitur, eam esse temporis filiam, de utilitate publica, suam indelem non nisi lustrorum successu prodente, pariter valeat. Nec hoc reticendum erit loco, veteres tantum non omnes Philosophos, obligationem erga Patriam omni alia majorem esse & sanctiorem docuisse; cujus opinionis consequens fuit, obligationem promovendi publicam utilitatem, alii cuicunque officio prevalere; a qua persuasione parum absumt contendentes, salutem publicam esse supremam legem; quorum sententia non profus est improbanda, si veram, non externam & apparentem intellexerint utilitatem; nihil igitur utile censentes, nisi quod simul honestum sit, humana tamen Divinis, uti par est, subordinantes. Addere licet, veteres illos Philosophos salutem & utilitatem publicam tanti fecisse, partim per superstitionem, jura natalis soli ac civitatis inter se confundentes, ipsamque religionem amori in patriam subordinantes, partim per arcanum quoddam dominatio-

nis;

nis, ut illi, qui ad imperii clavum sederunt, sœcioso aut libertatis aut amoris in patriam prætextu, studia suorum civium eo magis sibi conciliarent, quod ex alterutro vel utroque horum motivorum cuncta in republica agere viderentur.

§. IV.

Sicut ab externa rei cujuscumque forma ad internam ejus qualitatem argumentari non licet, non omne enim quod micat, ideo est aurum; ita quoque nec omne, quod utilitatis publicæ speciem præ se fert, fructiferam reapse continet nucleum, aut honesto, cujus benefica indoles citius ferius se prodit, plane convenit; quare inter honestum & utilitatem publicam collisionem subinde existens, necesse est. Utroque autem ad rationis stateram rite expenso, quodnam alteri præponderet, cordato ambiguum obvenire potest remini. Sumus equidem, quotquot nomen civium tuemur, ad utilitatem publicam etiam cum nostro dispendio, si illa aliter obtineri nequeat, promovendam, maxime obligati; ei tamen intentis haud sufficit bonum sibi propositum habere finem, sed mediis quoque legitimis ad hunc perveniendi, utemur, intime persuasi, quod alioquin utilitas, quancumque nobis obveniat, ut honesto, ita veræ felicitati, sit adversa. Ad honestum autem in singulis nostris actionibus servandum, vi nostræ a Summo Numine dependentiæ ita sumus obligati, ut sicuti ab hac nullo nos exsolvere possumus modo; ita obligatio hinc emergens est alia quacumque major, ac cæteris proinde præferenda. Imo quid, quæso, magis foret impium & absonum, quam in suum inducere velle, animum, illud ad utilitatem publicam spectare, quod sanctissimi & Summi cœli terræque Monarchæ provocet indignationem, respublicas igitur ob spreta ju-

stitiæ & honesti præcepta, suamque ita læsam Majesta-
 tem, gravissimis pœnis sapissime mulctantis. Honestum
 propterea semper & ubique est absolute necessarium, u-
 tilitas vero propter speratam valet commoditatem, quæ
 nisi in honesto fundetur, est nulla; hanc igitur illi in no-
 dis collisionum cedere debere, quis est, qui dubitet? Quid?
 quod nulla sit vafrities, nullumque fere scelus, quod u-
 tilitatis publicæ larva tegi non potest; quæ igitur si ho-
 nesto palman præripere legitime posset, in negotiis hu-
 manis nihil amplius sanctum aut stabile unquam foret.
 Imo utilitate etiam publica honesto pravalente, quid fie-
 ret de pactis, quid de foederibus, quid denique de sano
 Gentium jure, quo omnes Nationes tamquam firmissimo
 continentur vinculo? Profecto confusum tunc existeret
 negotiorum quorumvis chaos, funus quoddam expiran-
 tis dignitatis publicæ; imperium pacatum & tranquillum
 in turbidum, civilibus motibus obnoxium & cæteris gen-
 tibus infestum tunc commutaretur. Quibus addimus,
 quod quum nullus, nisi frontis forte perfrictæ, detur,
 qui suam utilitatem per nefaria facta aperte promovere ni-
 tatur, sed facum perverto studio ex honesto quarat; e-
 videns sit, per ipsum sensum moralem, multoque ma-
 gis per cultam rationem nos duci ad honestum utilitati
 cuicumque in casu collisionis præferendum.

§. V.

Rationes hæctenus a nobis allatas pro vindicanda ho-
 nesti præ publica utilitate in casu utriusque collisionis,
 præcedentia, ridebunt forte Politicorum non pauci, caus-
 santes, easdem tenebris Scholarum & umbraculis Aca-
 demiarum, quam negotiorum publicorum splendore, esse
 digniores. Hi proinde sunt, qui regulam, a MACHIA-
 VELLO in *Discursu in Livium* propositam, observare so-
 leant,

leant, ita se habentem: *Quando de salute patriæ agitur, nihil esse debet, quod animos nostros in aliam sententiam trahere queat; neque ab hoc scopo avertere quemquam debet iusti vel injusti, crudelitatis aut misericordie, non denique laudis vel ignominie consideratio* (a). Enimvero sicut in legem Naturalem peccat quicumque opulentia suæ compendium cum alterius quarit dispendio; ita eandem legem violat sive Natio, sive Princeps, qui vel cum alterius Nationis vel innocentis civis sui vexatione publicam augere nititur utilitatem; docente experientia, multa in præsentem utilia, in posterum esse noxia. Quem vero istum sibi imminentem declinaturi adversarii, ad *Rationem Status*, quam genuinam negotiorum publicorum bilanciæ esse opinantur, provocant, per Rationem modo nominatam intelligentes vel publicam utilitatem vel exceptionem a lege Naturæ generaliori, ob salutem reipublicæ, in casu collisionis faciendam; in proficuis proinde casibus quidquam interdum, honesto & æquitati adversum committere, non modo licitum, sed etiam honorificum, censentes. Sed horum auctoritatis, quantacunque eadem fuerit, ab adsumta nos dimoveri sententia non patimur. Verum quidem est, Politicum in salutem civitatis publicam seu Rationem Status intentum esse debere; sed ita tamen, ut dum suo inservit Principi, Supremum Monarcham, honesti violatione, non offendat. Maximam, quam pollet, adhibens prudentiam, ab astutia & calliditate sit alienus. Prudentia unicam tantummodo sequitur lucem, quam præfert veritas & isthæc lux, ad instar solis, nunquam est ambigua; calliditate e contrario ad modum ignis cujusdam fatui se habente, visum distorquentis & in devia maxime exitiosa plerumque seducentis. Nihilo tamen minus recentiori eam avo fuisse Politicos supremi subfellii novimus, coram cultioris Europæ facie asserere non dubi-

dubitantes, foedera quævis diutius non esse servanda, quam salus & utilitas publica permetteret. Enimvero quum foedera sigillo perpetuitatis sollemniter sint munita; nihil fere esset iniquius, quam eadem rumpere, spe majoris vel commoditatis vel fructus se aliunde offerente. Hoc admisso, metuendum foret, ne status ille Hobbesianus, quem sub ficta hypothesi induxit, & pro jure fundamentali venditavit, realem tunc fortiretur existentiam, & bellum foret non simpliciter, sed omnium in omnes.

(a) Vid. *Libr. III. Cap. XLI.*

§. VI.

Hisce expensis, promissi, in præfantiuncula dati, memores, Historiarum jam evolvamus monumenta, & per Theatrum hoc tam bonarum, quam malarum actionum oculos animumque circumferamus; satisque patebit, veros Heroes honestum cuiusvis utilitati prætulisse, ambitiosos autem sub publicæ utilitatis peplo suam texisse passionem. Quocirca illustre imprimis est Romanorum Dictatoris CAMILLI exemplum, qui dum Faliscorum urbem obsideret, & paedagogus juventutis obsesæ urbis, a nemine licet sollicitatus, Optimatum liberos, suæ institutioni commisos, extra moenia a se eductos ita disposuerat, ut in Romanorum pervenirent potestatem, insecuturæ deditiois obsides futuros, improbam hominis perfidiam, qua in publicam utilitatem, non tamen sine honesti violatione, uti potuisset, prorsus detestatus, perfidum Ludimagistrum virgis ad urbem usque cædendum pueris tradidit, eam, ceu refert Historicus, veram esse victoriam dicens, quæ salva fide & integra dignitate pararetur (a). Plura huic similia, si id nunc solum ageretur, proferre possemus eorum exempla, qui honesto

nesto utilitatem publicam ita posthabuerunt, ut dissecantes non egregiorum virorum, sed plane latronum loco haberent.

(a) *Vid. Livii Histor. Rom. Libr. V. Cap. XXVII. & Flori Histor. Rom. Libr. I. Cap. XII. §. 6.*

§. VII.

Exemplo jam allato aliud ejusdem tenoris, sed memoria eo magis dignum adjungere placet, quod characterem non singularis hominis, sed Nationis quondam illustris, in casu collisionis inter honestum & utilitatem publicam, luculenter exprimat. Scilicet ex Historia constat, THEMISTOCLEM, Atheniensem, in concionem populi prodiisse, suisque significasse civibus, se habere consilium Reipublicæ salutare, quod vero quum publice indicare non posset, petiit, ut fidus sibi daretur collega, quicum sua communicare posset molimina. Gestus est ei mos, datusque ARISTIDES, quo integriorem Athenienses tunc habuerunt neminem. Aristides vero, cognito Themistoclis consilio, in concionem magna expectatione veniens, civibus edixit, perutile quidem esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Quare Athenienses, quid ageretur adhuc incerti, (consistebat autem hoc arcanum politicum in eo, ut cives sui classem Lacedæmoniorum, quæ ad Gytheum in littore Attico erat subducta, & securam ibi stationem vi pacis, inter vicinas has civitates vigentis, sibi pollicebatur, clam comburerent), quod honestum non esset, id ne quidem utile putantes, totam eam rem, Auctore Aristide, repudiaverunt.

(a) *Vid. Ciceronis Libr. III de officiis Cap. XI.*

§. VIII.

Aliam vero fuisse CORNELII NEPOTIS, egregii cateroquin Historici, in casu non multum dissimili mentem invenimos. Memoriae scilicet prodit, quod MILTIADIS, qui in fidem Persarum Regis XERXIS se dederat, ab hoc inter cetera stipendia dominatum urbis sibi concreditum habens, Rege contra Scythas expeditionem bellicam suscipiente, rem vero infeliciter gerente, Collegis suis persuadere tentaverit, ut pontem, quem in Istro flumine Rex fecerat, dissolverent; praedicens, Regem ita, aditu in patriam ocluso, vel hostium ferro, vel inopia paucis diebus interiturum. De quo consilio tale Historicus fert iudicium: *Cujus ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda, quod amicior omnium libertati, quam suae fuerit dominationi a*. Nihil nos movet, quod factum hoc paulo aliter proponat HERODOTUS *b*, quoniam nostra animadversio tantum stringat epicurum Historici Romani de facto hoc qua tali. In confesso igitur est Miltiadem Regi Persarum suam obstrinxisse fidem, & ab hoc multis magnisque muneribus fuisse ornatum; qui vero vicissim & sui officii & honesti plane immemor Graciam prodidit fidem, quod non solum Regi, de se optime merito, pessime cuperet, sed etiam inclinatis Persarum rebus, Collegas in societatem perduellionis sollicitare non dubitaret. Nec ullam meretur excusationem, nedum laudem, quod amore libertatis Graciae ista machinaretur *c*, siquidem contra probatum Moralistarum canonem. Non facienda sunt mala, ut inde eveniant bona, egerit; fini ex sua opinione bono obtinendo pravum immo pessimum adhibens medium. Nec sufficit, credulo antiquitatis errore, levitatem, perfidiam, prodicionem, & si quid pejus est, exculare, dum publicae ita consulere liceat utilitati. Si igitur praemisso facto convenienter suum Histori-

vicus formare voluisset iudicium, ita inferre debuisset. Laudanda est Miltiadis ratio, quod amicior fuerit publicae utilitati, quam honestati, & amorem in patriam ipsa religione habuerit sanctiorem: qualis vero conclusio Philosophiam non sanam, sed barbara deteriorem sapit.

(a) Vid. Cornel. Nepotis Vit. Miltiadis Cap. III.

(b) Vid. HERODOTI libr. VI (c). Sententiam Nepotis defendit LAMBINUS, in suis ad hunc locum Annotationibus, ita scribens: *Atqui nonne fidem violabat Miltiades, & ita non est ejus ratio laudanda? Respondeo: nullam fidem antiquiorem esse habendam pietate in patriam &c. melius tamen fecisset Miltiades, si fidem Persis non dedisset.*

§. IX.

Quamvis denique multorum admirationem expresserit singulare ZOPYRI, Nobilis Persæ, factum, publicam utilitatem salutis suæ preferentis; attamen quum idem honestati non fuerit conveniens, nec album meretur calculus. Scilicet dum Persarum Rex DARIUS in obsidione urbis Babylonis, quam Assyrii defectione facta occupaverant, hæreret, nec spes esset urbis hujus recuperandæ, Zopyrus domi se lacerari toto corpore jussit, nec non narium, aures & labia sibi præcidi, ut ab hoste facilius pro transfuga, qui nihil magis quam vindictam in crudelem Regem, tantæ mutilationis auctorem, spiraret, reciperetur; qui obsessorum facilitate ita abusus, conscio Regi urbem hoc stratagemate reddidit, eventu conaminis suo ex voto respondente. Quod ad moralitatem voluntariæ hujus mutilationis attinet, sciendum est, eam principiis Legis Naturalis, adeoque etiam honestati fuisse contrariam; quum nemini in sua membra, nisi pro corporis

conservatione jus competat, qualis necessitatis casus heic non adfuit. Esto etiam, utilitatem publicam ita promotam, finemque hujus stratagematis fuisse bonum; attamen quum huic obtinendo gravissimum adhiberetur facinus, nec ille eatenus erit probandus, imo quum Zopyrus hoc non ex sensu officii, sed ex vesana egerit ambitione, ipse quoque Darius vulnera Zopyri improbavit, fidelitatem ejus laudans.

S. D. G.



Quantis deinde malis etiam administrationem expressit hujusmodi ZOPYRI, Mollis veritas, pudorem et fidem salubrem, etiam quum idem honoris non fuerit conservatus, nec aliam meretur salutem. Scilicet dum Persarum Rex DARIUS in obsequio vidit Babylonis, quam Assyrii detractione sacra occupaverant, hanc, nec ipse esset orbis hujus recuperanda, Zopyrus hanc se fecerat toto corpore iussit, nec non statim, aures & labia sibi praeidit, ut ab hoste facinus prostratus, qui tunc magis quam vindex in conspectum Regem, omnia amissionis audientem, sperare recipere; qui consistorum facilitate in abutit, vobis Regi urbem hoc stragemate reddidit, eorum consilio hunc vero respondente. Quid ad mortuam vitam, cuius hujus punitio est, etiam, si hujus punitio est, adeoque quum honorati hinc con-stant; quam mentis in illa mentis, nisi pro corpore con-